

P R A E F A T I O .

in te intuenti verum omnino videri illud solet , quod a sapientibus traditum est . ajunt enim , homines ferreis alios , alios æreis , quosdam argenteis animis gigni : esse etiam paucos illos quidem , sed tamen nonnullos , quibus aurea animalium natura data est , iisque seorsum regendarum civitatum munus a Deo assignatum : illos alios , quo sua quenque aut duritia aut vilitas impellat , ferri : at vos ex illo aureo genere natura ipsos per vos locupletes atque honoratos , ad salutem civium , populorumque incolumitatem , vitamque omnium quietam & beatam ortos , nec honores concupiscre , & divitias contemnere , & generosarum volucrum ritu , cœlum modo spectare , ubi vobis civitatum rectoribus ac conservatoribus certum locum ac diffinitum esse teneatis . Quæcum ita sese habeant , tam præclari hominum maximorum cœtus atque conciliï instituta , tam diuturnæ reipublicæ moderationem , tam eximiæ civitatis magistratum descriptiōnem , opes , & copias , tum res vestras domi bellique gestas , a populis gentibusque aliis audiri , manareque ad posteros , non jam ad vestram modo gloriam pertinet , sed etiam ad eandem ipsam , in qua versamini atque exercemini , hominum salutis curam . habebunt enim exteræ nationes non modo quod magnopere laudent , quodque admirentur plurimum , sed etiam quod imitari cupiant , undeque exemplum petere possint , qualem esse optimam firmissimamque rem publicam ac statum civitatis maxime diuturnum maximeque expetendum , oporteat . Quare rerum vestrarum historia hæc , quam Petrus Bembus Cardinalis , vir idem clarissimus , idem scriptor unus omnium politissimus , scripsit , merito & flagitata jampridem a multis est , & expectata semper ab omnibus . quid enim aut ad delectationem jucundius , aut ad disciplinam (est enim historia vitæ magistra) gravius , constantiusve esse possit , quam civitatis omnium prudentissimæ leges , mores , instituta , consilia , magnarum variarumque rerum casus atque eventa , de omnium dulcissimo elegantissimoque auctore audire , eoque ipso nec in mendacio gratiam querente , nec in veritate similitatem extimescente ? fuit enim Bembi non stylus modo purus & elegans , sed